

§. IV. Praesertim vero meminerit, Matrimonia inter raptorem, et raptam, dum ipsa in raptoris potestate manserit, inita, necnon clandestina, et quaelibet Matrimonia, quae aliter, quam praesente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus contrahuntur, ex ipsius Concilii Decretis irrita omnino, ac nulla esse.

56 Jam dictum fuit supra §. 1. Rapinam esse impedimentum dirimens Matrimonium, et explicavimus ejus naturam, num. 23. Porro clare loquitur Concil. Trid. sess. 25. de Ref. matr. cap. 6. contra Raptores mulierum, et omnes dantes eis auxilium, consilium, et favorem; ex Barbos. de Pot. Ep. p. 3. alleg. 50. n. 243. ubi multi classici Doctores.

57 Saepe de hoc verbo *Clandestino*, in hoc Titulo fit mentio, nusquam vero explicatur ejus significatio, quam modo subdere statui. Clandestinum idem est, ac *secretum, occultum, et clam*. Festus apud Funger. *Etym.* deducit hanc vocem a clavis, quia his claudimus quae celare volumus. Clandestinum igitur dicitur Matrimonium, quando clam, et in occulto, nec in facie Ecclesiae factum est.

58 Per aliquos Doctores Clandestinum Matrimonium sex modis celebrari potest: quorum primus est, quando sine Testibus contrahitur. 2. quando consummatur ante nuptiales benedictiones. 3. quando contra fidem priorum sponsalium alia ducitur Uxor. 4. quando ante legitimam aetatem Matrimonium celebratur. 5. quando contrahitur tempore, quo Nuptiarum solemnitas interdicitur ab Ecclesia. 6. quando omissis denunciationibus celebratur. Unde inferunt, omne Matrimonium contra generalem, aut specialem, tacitam, vel expresam Ecclesiae, aut Judicis prohibitionem initum, dici Clandestinum, Sanch. de matrim. T. 1. l. 3. disp. 1. n. 1.

59 Nonnulli autem tres tantum Clandestini Matrimonii causas statuunt. Prima, quando sine Testibus celebratur; secunda, quando sine denunciationibus; Tertia quando sine solemnitate; quae habetur *c. aliter* 30. q. 5. nempe absque consanguineorum notitia.

60 Sed ea communior sententia, quam amplectitur, et approbat Sanchez *d. n. 3.* est, ut duae tantum sint Matrimonii clandestini species: ex vi autem, et natura vocis, Clandestinum non potest intelligi nisi quod clam factum est. Igitur in duobus tantummodo casibus erit clandestinum Matrimonium. Primus erit, quando Parochus et Testes deficient: secundus quando omittantur denunciationes sine dispensatione, et proinde in his casibus Matrimonium clam omnino celebrabitur. Primus

casus est dirimens, secundus est impediens tantum. Caeteris autem solemnitatibus omissis clandestinum non appellabitur Matrimonium, sed minus solemne. Ita cum Sanch. Goffredus, Perez, Gutierrez, et alii.

61 62 Ante Concilium Tridentinum ista Matrimonia clandestina erent valida ex S. Thoma 4. d. 28. q. 1. art. 3. Justissimis autem de causis Concilium ea irritavit. Et has causas enumerat Sanch. *d. T. 1. l. 3. disp. 3. n. 3. et disp. 4. per tot.* quas item refert Ursaya *T. 1. par. 2. d. 2. num. 92. 93.* et sunt: *Ad tollendas innumeras lites, inextricabiles anfractus, et ambages, perjuriam et nuptiarum incertitudines; Partium fraudes et deceptiones, quarum una neget, altera asseveret, et pejeret, intervenisse clandestinas dispensationes, unde rebus non probatis, transitus ad posteriora, non conjugia, sed adulteria essent.* Unde si nulla alia causa convocandi concilium adfuisset (quae multae, et maximae fuerunt) propter unam hanc id omnino fuisset faciendum, prout in solemnibus ultimas sessionibus ejusdem Concilii loquutus fuit Hieronymus Episcopus Nazianzenus; de quo Card. Pallavicinus *Histor. Concil. Trid. l. 21. cap. 2. num. 4. et l. 24. cap. 5. n. 5.*

63 64 65 66 Praesentia igitur Parochi in Matrimonio celebrando necessaria est, vel alicujus ab eo facultatem habentis: et haec non tantum corporea, sed etiam moralis cum intelligentia, et advertentia actus, Ledesma *de matrim. quaest. 45. art. 5. dub. 2.* Circa vero substitutionem alterius Sacerdotis, multa sunt advertenda; de quibus diffuse loquitur Barbosa *de pot. Ep. p. 2. alleg. 32.* in quibus praecipue illud est advertendum quod facultas debet esse illi Sacerdoti tradita specificae, et specialiter ad Matrimonia celebranda, non ad actus Parochiales exercendos in genere, vel non debet esse tacita, Menoch. *de Arbitr. cas. 453. pag. 13. et 14. et Fons. 398. n. 15.* Et requiritur, ut actum praecedat. Salzedo *cap. 76. vers. 13.* et alii contra Barbos. *de Off. pot. Paroch. p. 2. num. 72.* Cujus sententia est, quod ad celebranda Matrimonia sufficiat licentia concessa a Parocho alicui Sacerdoti, ut intra suam Parochiam, omnia ad curam Animarum spectantia exercere possit. Rota vero *dec. 642. n. ult. p. 1. divers. in Vicentina Matrimonio*, est pro opinione Menochii, si Parochus concessit Sacerdoti administrationem Sacramentorum magis necessariorum, quia ista facultas non extenditur ad celebrationem Matrimonii. Tutior sane sententia est illa, a me prius allegata cum Menochio, quam approbat et ipse Barbosa alio loco, nempe *n. 69.* ejusdem operis. Nec mirum est, si tantus Doctor quandoque in suis operibus sibi contradicat: Opera enim amplissimae molis exaravit, in quibus facile dari potuit casus oblivionis. Et quoniam tanti Doctoris mentio est, valde miror, quod in rebus ad Matrimonium spectantibus, et quotidie occurrentibus, con-

salatur semper *Tractatus de Officio, et Potestate Parochi*, nusquam vero, et saltem rarius, aliud ejusdem Authoris premagnum opus, *de officio, et potestate Episcopi*, in quo et praecipue p. 2. allegat 32. de *Auctoritate Episcoporum in Matrimoniis contrahendis, et dispensationibus denunciationum elargiendis*, universam Matrimonii materiam diffusissime tractat; quem locum si nonnulli moderni Doctores legissent, sententias ab eis, in tot casibus prolatas, libere retractassent. Sed fortasse judicando quod materia Matrimonii ad solos parochos spectet, unice ad opus *de Parochi potestate* accesserunt, non animadvertentes, quod Episcopi in Matrimoniis majorem habent facultatem, quam Parochi. Rubrica haec clare loquitur dum dicit: *de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia*: ergo non semper ad Parochos in casibus matrimonialibus, sed quandoque et saepe ad Episcopos haberi debet accessus.

§. V. Est autem proprius Parochus, qui adesse debet, is, in cujus Parochia Matrimonium celebratur, sive Viri, sive Mulieris.

67 68 Diximus quae circa hoc necessaria sunt in explicatione primi Paragraphi praesentis Tituli: Modo unice remanet advertere, quod circa Ecclesiam, in qua celebratur Matrimonium, haec esse potest ad libitum contrahentium, et juxta consuetudinem loci, dummodo alterutrius vere sit Parochia; cum sit regula inconcussa Parochum tam Viri, quam Mulieris valide assistere Matrimonio, Rota *decis. 390. n. 6. part. 2. recent.*

69 Hic Ferrariae mos est, ut celebrentur Matrimonia in Ecclesia Parochiali, sub qua degit Foemina: alibi vero, alio modo, et quomodocumque fiat, sufficit, quod unus, vel alter Parochus sit vere Parochus alterutrius contrahentium, quod est juxta institutum Conc. Trid. de quo loquens Barbo. *de pot. Ep. alleg. 32. p. 2. n. 65.* ait Proprium Parochum ad Matrimonium, esse Parochum Uxoris, si Matrimonium in domo Uxoris contrahatur (quod nonc intelligi debet de sponsalibus per verba de futuro) quando scilicet Vir accedit ad domum Uxoris pro contrahendo, vel consummando Matrimonio.

Quando vero Matrimonium sit contrahendum inter Virum, qui sit de una Parochia, et Mulierem, quae sit de alia, sufficit, quod intersit Parochus habitationis foeminae; sufficit Parochus Viri, quando contrahitur in Parochia habitationis Viri, quia cum proprie Parochus committatur, suum Parochianum Matrimonio conjungere, censetur etiam commissum, alienum cum suo conjungere, cum haec necessario conexas sint, *lib. 2. de ju-*

*risdict. omnium Jud. et cap. praeterea, de offic. deleg.* Ita ex mente Concilii declarasse Sacram Congregationem referunt Salzed. *dict. cap. 76.* et alii apud Barbo. *loc. cit.* Unde apparet semper libertas loci, et Parochi: atque ideo ut plurimum domus Foeminae, seu Parochia, seu Parochus in usu est ex convenientia, sive perfunctorie, et urbanitatis gratia erga sequiorem sexum, cui non est dandum onus ad longinquorem Parochum accedendi, cum jam degat in propria absque incommodo.

§. VI. Caveat praeterea Parochus, ne facile ad contrahendum Matrimonium admittat vagos, et peregrinos, et qui incertas habent sedes, neque item eos, qui antea conjugati fuerunt: ut sunt Uxores militum, vel captivorum, vel aliorum, qui peregrinantur, nisi diligenter de iis omnibus facta inquisitione, et re ad Ordinarium delata, ab eoque habita de ejusmodi Matrimonio celebrando licentia, quae gratis concedatur.

70 71 72 73 De Vagis, et peregrinis satis diximus in explicatione *Tit. de Communione Paschali*, §. 4. definiendo, quinam tali nomine vocentur. In Sacramento Matrimonii clara explicatio Sacerdotalis Brixinensis. *dist. 8. c. 2. §. 37.* ubi legitur.— *Ignoti, vel ex alia Parochia, aut Regione venientes, ad Matrimonium nequaquam recipiantur: multo minus Vagabundi, nisi post diligentem inquisitionem, et re ad Ordinarium delata, licentiaque id faciendi ab eodem impetrata, quod cum nostra Rubrica stricte concordat.* Atque in hoc nunquam male se gerere potest Parochus, si detecta aliqua dubietate, ad Ordinarium illam referat, et ab eo oraculum, et dispensationem in scriptis, sigilloque munitam accipiat, pro suo tutamine in casu controversiae: cujus dispensationis custodiam diligentem servare debet, et in Libro Matrimoniorum regestum facere. Scire tamen debet Parochus, quod istorum Vagorum Matrimonio, quilibet Parochus assistere valet, servatis tamen iis, quae notant DD. adducti per Tamburin. *l. 8. de Matrim. c. 2. §. 5. n. 19.*

74 Nonnulla veniunt notanda circa hoc; et praecipue, quod juxta instructionem Sacrae Congregationis Inquisitionis de Urbe, Testes ad probandum statum liberum, debent examinari coram Episcopo, vel ejus Vicario Generali, nec refert quod hujusmodi Testes sint affines, et consanguinei, quando aliter hoc examen haberi non possit.

75 76 Sed ista forma potest praetermitti quando quis constitutus in articulo mortis, vel alio simili periculo, et accidenti, ut e peccato exeat, vellet contrahere Matrimonium: sed si periculum evaderet, vel ab infirmitate convalesceret, caedem diligentiae, antequam ad copulam, et cohabitationem deveniatur, adimplendae sunt, prout *S. C. S. Officii*, respondit in *Neapolitana de anno 1638. relat.*, a Corrad. in *prax. dispens. lib. 7. c. 6. num. 23.*

77 Sicuti neque servatur Instructio praedicta cum illis, qui absentes a loco originis nullibi domicilium fixerunt: sed haberi debet recursus ad S. C. Inquisitionis supremam quae attenta facit expositione, et morali impossibilitate, certam sui status liberi fidem habendi, preces Ordinariis locorum remittere solet, cum facultate, ut possint (comminata prius contrahere volentibus, poena tritemium, irremissibiliter infligenda, in casu, quo ipsos alibi habere Uxores, vel Viros, detegatur, praestitoque per eos juramento ad Sancta Dei Evangelia se esse liberos ad contrahendum) ad celebrationem Matrimonii devenire. *Monacell. Prae. T. 4. tit. 8. form. 1. n. 3.*

78 79 Quale autem dicatur tempus notabile absentiae, ut possit Matrimonium prohiberi, nullibi praefinitum reperiri asserit idem *Monacell. For. 7. n. 2.* Sed Episcopus juxta Personarum, et causae absentiae qualitatem, illud discrete, et prudenter definiet, ad tradita per *Menoch. de arb. l. 2. cas. 6. n. 13.* Regulariter autem qui per quinque, aut sex menses continuos a Dioecesi, et in longinquis absentes fuerunt, dici poterunt extra diu moram traxisse, ad effectum, ut arceri possint a Matrimonio, donec constet, eos mansisse liberos. Ita judicant *Synodus Farfen. de anno 1686,* et *Caesenat. de anno 1695:* apud *Monacell. d. n. 2.*

80 81 Sed cum hoc ad Parochos non spectet, praetereundum est. Ad eos pertinet se cavere, et cum magna cautela procedere in his casibus, nec ad matrimonium celebrandum se conferre, nisi prius habitu folio dispensationis, seu status liberi, seu, ut communiter dicunt: *Tibi*, per quod facultas illis concedatur assistendi tali Matrimonio. Quod si parochus, sine licentia Episcopi, vel ejus Vicarii Generalis, illos, non obstante prohibitione, in Matrimonium conjungeret, graviter peccaret, et posset severe puniri, ut advertit *Pax. Jordan, t. 1. lib. 3. tit. 6. n. 99. et n. 177.*

84 83 84 Consuetudo est, ut in Litteris testimonialibus, seu licentiis celebrandi Matrimonium impertitis Parocho, inserantur verba—*Constito tibi de libertate N. vel N.* In hoc casu talis libertas seu Viri, seu Foeminae, debet constare evidenter Parocho, nulla adhibita interpretatione, vel indulgentia. Si vero aliquid, vel etiam minimum, in dubium revocet hanc praetensam libertatem, ad Ordinarium haberi debet recursus

qui articulum discutiatur, et testes examinet. Hoc pacto, et recte se geret Parochus, et rigor maximam illi afferet utilitatem, nec eum poenitebit se ita gessisse.

85 86 Episcopi etiam in casibus arduis ad Matrimonium spectantibus, non ita ex tempore resolvere solent, sed se remittere ad S. Congr. Supremae Inquisitionis, vel Concilii, et respondent, juxta laudabilem morem prudentum Ordinariorum, de quo testis est *Rota, in Cajet. Matr. 28. Junii 1683.* coram Card. Matthaejo, et 13. Junii 1690 coram Card. Caprara, comprobatum in *Aquilana a S. C. decisa Junii 1715.* Imo abstinere solent in causis gravibus Matrimonii a ferenda sententia.

87 88 89 Aliquid superest dicendum de Militibus, qui dum in expeditione sunt, aut in exercitus stationibus, contrahunt Matrimonium, absque licentia Parochorum locorum, in quibus reperiuntur, sed coram Capellano exercitus tantum. An ista Matrimonia sint valida, quaerit *Monacell. Tom. 3. t. 2. for. 5. num. 5.* et Decretum afferens *S. C. Concilii 16. Martii 1694.* Negative resolvit, quod confirmatur in una *Casalen. 28. Junii 1704.* Hoc tamen dicitur in locis, in quibus Concilium Trid. publicatum fuit, et nisi indultum habeant Apostolicum. Circa quod animadvertendae sunt nonnullae Resolutiones S. C. Concilii habitae die 6. Martii 1694. per extensum relatae a P. Shiarra, et ab Ursaya *T. 2. part. 1. d. 14. n. 19. et seqq.* Ubi multae resolvuntur difficultates in hac parte

90 91 92 93 Nonnulla insuper addam ex *Sacerdotal. Briainen. dist. 8. cap. 2. §. 33. et 35.* excepta, quae valde utilia Parochis esse possunt in Sacramento Matrimonii celebrando, seu assistendo. Dico igitur, quod in Matrimoniorum impedimentis, vel dirimentibus, solus Papa (paucis casibus exceptis) dispensare potest. Ubi qui dispensationes a Summo Pontifice, in casibus Matrimonialibus impetrare volunt, et impetrant, tria diligenter advertere debent. I. Ut in omnibus veritatem supplicent, ac narrent, additis necessariis circumstantiis: an videlicet, Matrimonium, vel Sponsalia contraxerint: an carnalis copula intercesserit; an scientes Impedimentum haec fecerint; an causa, cujus intuitu dispensationem petunt, vera sit, etc. II. Ut interea dum dispensatio expeditur, Sponsi simul non cohabitent, multo minus condormiant. Oriretur hinc quoque novum impedimentum Incestus. III. Ut Bulla, seu Littera Summi Pontificis, Legati, vel Nuntii, quae non ipsa dispensatio, sed Commissio Apostolica ad Vicarium, vel Officialem Episcopi esse solet, eidem Vicario ante nuptias praesentetur, qui postmodum, juxta tenorem commissionis, se super narratis informare debet, dispensationemque, et alia omnia, prout in Domino judicat, expedire noverit.

94 95 96 97 Inter causas vero legitimas, propter quas  
COM.—P. 27.

Romana Curia super impedimentis matrimonialibus dispensare quandoque solet, potissimum enumeratur *Loci angustia*: quando nimirum duae Personae petunt dispensationem, propterea quod Mulier in loco, ubi degit, propter illius angustiam non facile invenit Virum non consanguineum, paris conditionis sibi, cui nubere valeat. Id quod raro valde contingit, et rarissime dari potest: et tamen super hoc, ab iis, quibus data est commissio dispensationis Apostolicae, nulla fieri solet ponderatio, seu examen, an vere detur ista loci angustia, quae nil aliud importat, et verificatur quoties ibidem non maneant nisi Consanguinei, extra quos Matrimonium contrahi non possit. Ricc. *Prax. Caus. dispens. Matrimon. P. 4. Resol. 527.* unde Genuen. *Prax. cap. 20. num. 14.* et Pyrr. Corrad. *Prax. dispens. Apos. l. 7. cap. 5. num. 39.* advertunt, quod magnam diligentiam adhibere debent delegati, quibus commissa est dispensatio propter hanc loci angustiam: quia saepe similes dispensationes esse solent subreptitiae: propterea solet aliquando Curia se informare ex Officio, examinando Testes a parte productos, maxime tunc quando Personae, quae contrahere intendunt, sunt infimae qualitatis, et locus non est adeo angustus. Dispensatio enim est interpretanda quatenus verba sonant, et ipsorum verborum natura requirit, Genuen. *d. cap. 20. num. 4. et 5.*

Mitiosem super hoc sententiam affert Anacl. *Jus Can. T. 4. Append. de disp. §. 3. n. 76. et seqq.* ubi ait: *Nec requiritur, ut fiat stricta, et exacta perquisitio, an non aliquis impedimento carens, puellae ad nubendum aequalis inveniatur in loco, sed sufficit moralis; imo sufficit si puella decenter ornata, et quasi exposita ad nubendum per aliquot annos incedebat, et tamen nullus illam pro Sponsa expetiit.*

99 100 101 102 Sed ut ad impedimenta deveniamus. Si dubium sit de aliquo impedimento, Nuptiae non conjungantur, donec dubium dilucidatum, ac depositum, sive dispensatio super impedimento manifestato in scriptis obtenta, et a Vicario Episcopi approbata fuerit. Quod si post celebratas Nuptias aliquod inter Conjuges impedimentum esse Parochus intellexerit, si id occultum fuerit, ipsosque Conjuges latuerit, Parochus nihil moveat, nullumque ignorantibus scrupulum injiciat, sed re cum suis circumstantiis ad Vicarium Generalem delata, ab eo quod fieri oporteat, expectet. At si occultum quidem impedimentum sit, ipsis tamen Conjugibus notum, moneat eos de dispensatione impetranda, atque ut interea ab omni opere carnali abstinere debeant, mandet. Sin autem ipsum impedimentum publicum sit, ac certum: Conjuges ab invicem illico separet, ipsisque cohabitationem, et praesertim carnalem copulam, sub poena interdicti, severe prohibeat, donec dispen-

sationem impetraverint, et a Vicario approbatam in scriptis ostenderit.

103 104 Hoc unum remanet, ut dicamus aliquid circa illa verba textus nostri: *Licentia, quae gratis concedatur.* Haec gratis datio in usu non est apud Cancellarios. et Officiales Curiarum Ordinariorum, que pro testium examine, et pro subscriptione, subscriptione, et sigillo, solent mercedem ratione laboris exigere ab Ordinariis taxatam, ut praecipue habetur in Curia Episcopali Ferrariae, in qua viget *Taxa Innocentiana* ab Eminentiss. Card. de Verme recusa anno 1711. quae passim etiam in aliis Tribunalibus servatur, utpote punctualiter exequenda per allegat. ab Ursaya *d. T. 4. p. 1. d. 14. a n. 32.*